

& Doctores ab eodem adducti. Si ergo pecuniam propriam non ita facile traderent, iubente Prorege: neque alienam, & maxime Regiam, tradere debuerunt. Quin etiam quod Principis mandatum non excusat, quando est notorie iniustum, & ita illi debuit reluctari. Nec timor, qui allegari potest, est cadens in constantem virum, sed vanus: Prorex enim non potest excusari descere ex adeo iusta petitione iad Regis seruitium spectante, qui & pro sui officij dignitate, fidelis ministri debet obseruantiam collaudare. Vnde & in facti contingentiâ sic contra quemdam iudicatum affirmat Paulus de Castro in l. 1. D. de iudicijs. Præterquam quod Officiarij publici non solum possunt conueniri ex dolo & lata culpa, sed etiam ex leui, & leuissima, vt post alios resoluit Menochius Lib. 3. Consilio 246. num. 61. In præsentem autem casu videtur euidentem culpam inueniri, quando pro obseruatione legum vtgentilium aliquid non adhibetur obstaculum ab iis, quibus earum obseruatio præsertim commendatur.

Contra illum sententiam aliqui obediunt penitus absoluentes.

Distinctione alia videtur questio componi.

Indignatio Principis damnum notabile ex quo res est facta.

Robur ex desperato profectu resistentiâ.

19 Sic vir ille doctissimus, qui tamen alios ex Collegio aliter censuisse testatur; omnino absoluentes eum, qui iussioni est Proregis obsecutus. Et quidem rationes adductæ aliquod Officialium peccatum ostendunt, quod & tandem citatus Auctor esse fatetur, & rationibus præfatis eunici; licet id, quod ad civilem obligationem spectat, præcipue probare contendat. Potest autem sententia vtraque in concordiam redigi, si dicamus peccare grauius Officialem, qui Proregi non resistit eâ, quâ debet, reuerentiâ, stulle talis indolis sit, cui protestationes tales possunt securè proponi. Tunc enim statim annuere iubenti, & sic gratiam eius aucupari, cum leges grauius vigeant, non sine graui peccato stabit; immo & restitutionis suberit obligatio, ob malam administrationem: vt aperiant illi oculos, videantque caudata hæc crimina multum esse formidanda. Si autem Prorex vir duro ingenio sit, & qui impatienter ferat sibi non protinus obediri; obediat Officialis, si nolit indignationem experiri eius: id enim facere sine peccato potest, iuxta communem doctrinam Scripturam, dicentium teneri quidem ad vitanda damna sub mortali, qui administrationem ex officio suscepit, & obligari ad restitutionem, si secus accidat: id tamen non sic habere, quando tale quid sine suo notabili damno præstare nequit. Pro quo videri potest Bonacina Tomo 2. Disput. 1. de Restitutione. Quæst. 2. Puncto 11. num. 5. P. Lessius lib. 2. Cap. 13. num. 69. 70. & 71. & alij apud ipsos. Esse autem damnum notabile indignationem Proregis, sicut & generaliter Principis, in eo, qui cum ipso frequenter est acturus, & qui adeo inferioris conditionis habetur; non videtur posse dubitari. Quod ex receptâ aliâ doctrinâ confirmari potest asserentium militem non posse stationem deserere, aut arcem tradere non defensionem, etiam cum periculo vitæ, eo quod stipendio conductus sit ad huiusmodi opus vitæ periculosum; addunt tamen hoc ita intelligendum, si speret fore, vt defendendo stationem, aut tuendo arcem, præualeat contra hostem: hac verò spe sublata non tenetur certæ morti se exponere, nam id frustra esset. Sic ex P. Molina, & P. Filliucio,

aliisque Bonacina supra. num. 4. Atqui in casu nostro idem accidit, licet enim Officialis resistat, Prorex id est executurus: quod iubet ergo sublata spe profectus in resistentia; frustra illa erit, & ita pro eo obligatio nulla.

CAPUT V.

Obligaciones aliæ. Et de vitiatâ pecuniâ damnabile lucrum expunctum.

20 Vnt præterea obligaciones aliæ, quæ communes sunt iis, qui aliorum substantiam administrant, & videntur ad solos bonorum dominos pertinere, vt mutare, remissionem debitorum facere, tempus soluendi prorogare, compositionem facere, expensas in recuperatione debitorum factas indulgere; vitiatam aliquomodo pecuniam admittere: circa quæ esse dubium nequit, nisi in solutionis terminis prorogandis: quia esse aliquando talis rerum concursus potest, vt illos prorogando, vitius Regio patrimonio consulatur. Si autem sterilitas, aut calamitas grauis occurrat, non spectat ad eos faciendâ remissio, sed ad supremos Magistratus, de quo dictum Titulo 1. Cap. 17. nisi forte in loco aliquo calamitas vigeat, vnde non possit ad Magistratus supremos recursus haberi. Indulgeatur ergo miseris, quibus cælum & terra videntur aduersari: à talibus enim solas lachrymas exigit, qui; quod non inuenitur, imponit: vt à Cassiodoro dictum Lib. 12. 26.

Quæ non licent Officialibus dicta.

Sterilitas tempore quæ facta.

21 Et quia de vitiatâ pecuniâ sermo incidit, cuius damna ex fabricatione & mutatione innumera his annis, non Indiarum modò, sed vniuersus ferè est orbis expertus: illud hoc loco commemoratione quidem non dignum, nisi ad condemnationem, adnotasse præstabit. Monetam quidem optimam ex Regis iuribus in arcas eius illatam; sed ab aliquibus ad soluenda stipendia educatam, aliâ vitiatâ mutatam; & pauperum dispendijs Regios aliquos ministros incrassatos. Quod cum sit, non iam hoc lucrari est, sed sub aperto sole latrocinia perpetrare. Quid si ij, quibus ex Regia pietate indultum est, vt primam post mutationis Edicta solutionem iurium Regiorum vitiatâ pecuniâ facere possent, ad puram & legitimam adigantur: & tamen illata pro vitiatâ mutetur, & hæc Regis arcis inferatur, pura & legitima, non iam à Regijs, sed Satanæ ministris imbutata? Quid ad hæc dicam? nescio, nisi quod ad hæc auaritiæ portenta erubescere debemus, & Dei exemplare iudicium contra eadem implorare. Quando enim hi restituent, qui deuorant plebem Christi sicut escam panis? Quod si non restituant, quæ spes salutis, stante inconcussa veritatis regulâ 4. in 6. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum?

Quorumdam illorum infidelium inuersione vitiatâ pecunia.

CAPUT VI.

De Officialibus ad iura Regia curanda in portubus deputatis.

22 Præter obligaciones Officialibus omnibus communes aliquæ sunt quibusdam peculiâres, eò quod speciale ministerium

Portuensis Officialis manus, & quali in

eo solet a mercatoribus indulgentia collaudari.

ministerium consequantur. Solet namque ex iis vnus in portu residere inspecturus quæ aduehantur & extrahuntur, & iura Regia collecturus. Et in talibus grauissima esse mercatoribus indulgentia solet, dum plura dissimulant simplici eorum testimonio contenti, qui & plura supprimunt, & merces pro mercibus referunt; quia inæqualia pro diuersis earum generibus sunt vectigalia decreta. Cum enim publicè exponi nequeant, sed arcis, aut iudicibus panis vel linteis inclusa accuratè confutis, dispici primo nequit aspectu quod fertur occultum; sed dicto mercatoris adhibetur fides, cum adminiculo formæ; quæ infarcimentis mercium solet pro earum diuersitate etiam applicari. Sed certè mediocri diligentia explorari omnia possent, sicut & numerus infarcimentorum & arcarum, quo & minor affirmari solitus quàm re ipsa sit. Et in his Officialis Regij benignitas collaudatur, qui bonum; vt dicitur, palagium facit, exactissimis alijs communi odio prægrauatis. Verùm iis videretur dicturus Rex, quod quidam alijs: Non mihi placet ista charitas. Neque ego inuenio vnde iustificari illa possit, nisi ex voluntatis Regiæ benignâ interpretatione: de quâ ipsas constat, quia sic vbique seruatur, sciente illo, nec volente. Vassallos suos in vectigalium exactiõibus scrupulosâ inquisitione grauari. Sed mediocri quidem scrupulosâ non est; nec video quomodo possit prædictis de huiusmodi Regis voluntate constare, à Rege ipso adeo remotis, & negligentiam circa hoc non leuiter puniuro. Si præterea accedant munerâ, ex quibus euidenter fit in hoc nullum boni publici respectum haberi, sed auaritiæ imperio potius quàm Regiæ voluntati ministrari.

Vnde iustificari possit, quod tamen non probatur.

Negligentia & dissimulatio ab Auctoribus condemnatur, cum restitutionis obligatione, unde vrgentur prædicta.

23 Et Auctores quidem de hoc agentes, negligentiam istam, aut dissimulationem vno ore condemnant, & cum restitutionis obligatione. Pro quo videri possunt Bonacina Tomo 2. Disput. 1. de Restitutione Quæst. 2. Puncto 11. num. 11. apud quem Sayrus P. Azor, P. Valquez, Salo, Aragon, P. Rebullus, P. Molina, P. Lessius, P. Reginaldus. Quibus addendi P. Gaspar Hurtadus Disput. 5. de Restitutione Difficult. 10. ex communi, vt ipse ait, Doctorum consensu locutus. Cardinalis Lugo Disput. 37. de Iustitia num. 101. P. Dicastillus Lib. 2. de eadem Tract. 2. Disput. 4. num. 188. P. Fagundez Tomo 2. in Decalogum Lib. 8. Cap. 5. num. 6. & 7. P. Fragosus Tomo 1. pag. 522. num. 95. Cardinalis Toletus Lib. 5. Cap. 21. num. 2. Syluius 2. 2. quæst. 62. art. 7. de iure, Balsæus V. Restitutio 3. num. 17. Pharaonius Tract. 2. Sessio 2. Casu 16. Diana Parte 3. Tract. 5. Resolut. 54. & Parte 11. Tract. 6. Resolut. 18. cum citatis ab eo, qui aut obligationem etiam ad restitutionem poenæ incumbere affirmant, non quia poena est, sed quia damnum; vel si id de poenâ non admittunt, de damno fatentur: quia custodes vectigalium non constituuntur, vt Principes multæ ditentur, sed ad damna euitanda: ad damna ergo, & non ad poenas tenentur. Non videntur ergo Officiales dicti tutum conscientiar habere per fugium.

Praxis tamē prædictorum

nandi, si vsum talium se dicant amplecti, quem mercatores bonâ præditi conscientia laudant, non laudaturi, si in eo manifestam iniustitiam deprehenderent: vt non laudent eos, qui, vt commode negotia expediant, muneribus volunt permoueri: potest tamen talis praxis in eo fundari, quod eo modo melius Regio patrimonio consulunt: si enim rigidi inquitores existerent, mercatores varias tentarent vias ad Regia vectigalia defraudanda, easque inuenirent: quia ad huiusmodi occultationes plures suppetunt administri. Iuxta quod P. Lessius verb. Restitutio Casu 15. Regium Theſaurarium excusat à delatione. Cum alijs propter varias Doctorum sententias circa obligationem ad vectigalium solutionem, se ad ea soluenda obligatos non esse communiter arbitrentur. Pro quo singulariter pugnat Ludouicus de Beia Parte 1. Casu 13. cuius doctrina hic applicari potest; quod scilicet consuetudo interpretatur animum legislatoris: ipsi autem Principes sciunt homines consueuisse gabellas defraudare, nec sibi à Confessoribus fieri scrupulum de restitutione: cum omnes ferè gabellæ quoad quantitatem & qualitatem sint dubiæ dari iuste: in pari autem turpitudinis causa potior est conditio possidentis Syluester V. Gabella 3. s. 14. Ad hunc modum cum sciant Principes Officiales suos hæc non ignorare, & eos vitales sita electione testentur, si iuxta id agant, quod diximus, non est credendum eos velle ad maiorem diligentiam obligare. Quando autem munera interueniunt, iam Ministri tales non sunt, quales sua electione Princeps æstimauit: vnde incredibile est eorum voluntatem esse eandem, quæ circa alios. Et ita licet obligare amplius mercatores nolit, quàm generaliter obligati sint; Officiales tamen vult totum grauaminis pondus iniuncti subire: & ita ad compensationem damni ex integro constringere, ne ex turpitudine sua lucrum se gaudeant reportasse. Quæ quidem verosimiliter dicta velim; aliorum melius sententium iudicio corrigenda. Quæ & dicta sint de Officialibus alijs in portubus constitutis: quorum aliqui nullo Regij patrimonij comodo, aut publici statûs utilitate; sed maiori sorte, si tamen forte dispendio, proximis sunt annis multiplicati super numerum, vt rerum istarum experientissimi passim proloquuntur. Vide infra num. 55. & 123.

Probabiliter defenditur.

Discursus Ludouici Beia pro obligatione soluendi vectigalia in foro conscientia.

Casus præsentis applicatur.

24 Circa Prouisorem, eum scilicet, qui pro Ministris Regiæ classis, & alijs maritimis Officialibus alimenta comparat, seruat & opportunè distribuenda curat, obseruanda ista. Primum, illum grauius peccare si vili emat pretio, non sine violentiâ aliqua, & quasi id, quod minus habetur pretij, sit fructus industriæ, eam sibi partem retinet, quæ emenda essent, si quiuis alius emptor accessisset: venditor enim, etsi infimo vendere pretio posset, non nisi medio vendere destinaret. Et certè si pretium minus infimo fuit, de obligatione restitutionis nequit dubitari. Si autem infimum; neque etiam tunc sibi, quod medietatem facit, potest acquirere, quia violentia interfuit, quæ inuoluntariam fecit venditionem: vt est Doctorum omnium consensione certissimum. Quod si vis absuit, & bono modo res acta est, ea certè industria debita est ratione officij: debet enim ita illud in utilitatem Regis exercere,

Prouisori pro alimentis Regiorum ministrorum, quæ obseruanda. Et Primum de emendo viliori pretio.



Sic emens mandato dicitur mihi posse retinere.

Secundo de obediencia res dicitur pretio maiori.

Singularis circa restitutionem difficultas.

Tertio, ob difficultatem solutionis pretium argendum.

Propter illam quomodo Officialis grauitate peccat cum onere restitutionis.

Quemlibet Officialium pro aliorum delictis.

exercere, vt non minus Regium patrimonium curaret, ac curaret suum: omnes autem minori, quo possunt, pretio res sibi student obtinere. Quia ratione teneri ad restitutionem, qui iustus aut rogatus rem aliquam emere, quam cum posset ab vno pro triginta, quæsiuit alium, à quo eam pro viginti accepit, affirmant P. Molina, P. Azor, & P. Reginaldus, quos adducit & sequitur Bonacina Tomo 2. Disput. 2. de Restitutione Quæst. 2. Puncto 6. num. 14. Quia scilicet debuit rem sibi commissam gerere utilitate mandantis inspecta.

26. Secundo, Onus lethale conscientia supra se tollit, si ipse aut ex fundo proprio collatas fruges, aut per negotiationem obrentas, pretio sibi commo vendat Regi, sub alieno Capite, cum illa minori pretio æque bonæ haberi possent. Quod quidem ratio dudum adducta confirmat: debuit enim vtiliter Regium tractare negotium, & non suæ utilitati fertire. Et idem est si amico emat maiori pretio in eius gratiam: omnis enim huiusmodi gratia ingrata est Regi, cuius & gratia & utilitas omnibus est aliis, dum illius negotium agitur, præferenda. Similiterque dicendum ratio eadem conuincit, si in amici gratiam fruges vitæ aut peioris conditionis ementur non minori pretio, quam aliæ meliores, quæ possent facile comportari. Vbi dubium esse potest cui sit restitutio faciendâ: an scilicet Regi, an verò Officialibus, quibus talia sunt alimenta distributa. Et videtur dicendum quod si in vsu erat meliora alimenta præbere, restitutio est Officialibus faciendâ: illi enim suo sunt commo, pretio æstimabili, defraudati. Si autem in vsu non erat, sed viliora dari solita, restituendum Regi, cuius est patrimonio damnus illatum.

27. Tertio. Prædicta procedunt quando in solutione nulla est futura difficultas: quia verò communiter illa est, & quidem non parua; res, quæ emuntur, maiori debent pretio emi, iuxta receptam doctrinam in materiâ emptionis & venditionis. Licet enim vsura sit vendere maiori pretio ob dilatatam solutionem: id tamen fallit quando in soluendo futura est difficultas: & multo magis quando faciendâ sunt expensæ à venditore. Pro quo P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. n. 54. alios adducens. Et Bonacina supra Disputat. 3. Quæst. 2. Puncto 4. n. 17. 5. Ex quo fit, apud quem & alij. Et hinc est Regios Officiales grauitate peccare solutionem difficilem reddentes, quia videlicet in causa sunt, vt res carius emuntur propter huiusmodi difficultatem: vnde & ad restitutionem tenentur. Quod bene adnotat Pater Fragoletus Tomo 1. pag. 922. num. 8.

CAPVT VII.

Quomodo vnus Regius Officialis pro aliorum delictis in conscientia foro teneatur.

28. TENERI absolute, non minus quam ob proprium, probat Dom. Solorzanus in Politicâ pag. 1024. 5. 1. Porque & seqq. ex eo quod in praxi ita receptum

est, & ex natura sequitur talium officiorum. Cum enim nihil disponi circa Regias arcas possit, in quo omnes non interueniant, omnes certe in delicto participant. Pro quo bonos producit Auctores, & ad fideiussores extendit. In casus autem contingentiâ, de quo specialiter agit, videtur contrarium resolueri, aut contradictione aliqua laborare. Ait enim fideiussorem, qui Lima pro Officiali soluerat id, quod ex Regis arcis deficiebat, lastum contra fideiussores Officialium aliorum in Audiencia petiisse, se tamen denegandum iudicasse; ob doctrinam quorundam Doctorum, quos ibidem adducit dicendum, cum quis ob dolum proprium, vel vt fideiussor dolosi talis conuenitur, non gaudere beneficio diuisionis neque omnes illi cedendas actiones. Iuxta hoc ergo fideiussores non sunt indiuidue obligati. Et præterea, si vnus conueniri specialiter pro suo delicto potest, quia circa Regias arcas delinquere sine aliis potuit: ergo non bene deducitur communis obligatio ex eo quod vnus nihil agere queat circa arcas Regias sine aliorum assistentiâ. Vbi non videtur dici posse Officiales Collegas infirmitate aut aliter impeditos, non adfuisse, & ita delictum vnus tantum esse potuisse. Cum enim impedimenta ista deberent esse manifesta, idem vnus tantum condemnatus, stultè à fideiussore lastum contra fideiussores alios esset postulatam, cum de illo dubium esse non posset. Et licet multa inconsideratè petantur ab iis, qui se iniuste grauatos dolent: in casu præfenti id non habet locum, quia circa petitionem talem Aduocati peritia laborauit, actorum notitiâ plene instructi. Quid ad hæc? lam dico,

29. Resolutio Dom. Solorzani pro releuandis fideiussoribus optima est, eam tamen non in casu tantum prædicto currere, sed quando delictum omnibus est Officialibus commune, seu tale præsumitur, verosimiliter haberi debet: durissimum namque onus est, quod nullus, qui fideiussor, sibi arbitratè imponere. Cum enim vix sit, qui pro vno fideiussore velit, & præsertim in Regiis Officialibus, quorum frequenter sunt exitus infelices ob summum in recuperando rigorem ea, quæ illi parum Regi fideles insumplerunt: quomodo inueniri queat, qui pro omnibus velit onus importabile sustinere? Cum ergo fideiussionis obligationem subeant, non est vltra eorum verba, quæ intentionem indicant, extendenda. Vnde & praxis non videtur iustificata, cum nulla talis sit, quæ grauet inuitos, quanto actio, circa quam grauamen tendit, omnino voluntarios prærequirit. Quemadmodum iustificata non esset praxis, si ex eo quod aliquis fideiussor sit, vxorem ad soluendum in eius defectum obligaret, quia tunc fideiussor esset inuoluntaria. Est autem receptissimus Canon, neminem vltra intentionem obligari: & intentio est verosimiliter explicanda, vt ex variis Textibus ostendit Glossa circa regulam iuris 81. in Sexto. Vbi & regula traditur ad dignoscendum quando est intentio verosimiliter conicienda; & inter alia dicitur illam non esse, quando dura obligatio redderetur: quod nostro in casu contingit. Et non omnem praxim iustificatam esse, constat ex iis, quæ ipse Dom. Solorzanus habet citatâ paginâ. 5. 1. esto, (como he dicho)

eligari, vt probat Dom. Solorzanus.

Circa fideiussores non videtur eius sibi contra-re doctrina.

Admittendam generaliter quoad illorum releuacionem, quando delictum non est commune.

Praxim circa hoc non videtur iustificatam.

Quia

Et ita pro foro conscientie non obligare, quia iuxta id fieri potest.

Idemque illud ingratum Regi, cui vnus non grauat si proficiunt.

Castro.

Minera omnes Regio Dominio iure adiudicata.

Qui generaliter id fieri posse negant.

Ad consensum populi non bene recurrit Caramuel, cum debeat ad Pontificiam donationem.

30. Quia verò pro foro externo parum forte ita sufficient, putant enim iudices obsequium se prætare Regi, si priuatorum grauaminibus illius patrimonium tuncantur, quod tamen de piâ & Catholica non est eorum voluntate præsumendum: ad forum potest conscientia deleruire: vt talis videlicet fideiussor sciat, se non esse ad soluendum obligatum, nisi pro eo, cui fidem suam adstrinxit. Vnde & occultare bona potest, & vt etiam compensatione, iuxta communem scriptorum doctrinam. Et hoc quidem Regi pergratum fore non dubito, qui grauari contra æquitatem & rationem Vasallos non vult suos, quorum commoda vt propria optat fartatecta conseruari. Vnde melius quam Theodoricus Rex illa, quæ apud Cassiodorum leguntur, verba Lib. 1. 4. 8. potest vsurpare; A nobis quippe potestis rationabiliter custodiri, quibus prospectus non grauari. Al. Quibus profusis. Et melius. Quibus proficiunt. Et sensus est idem, sed clarior. Verissimè enim ita se res habet, vt tunc Vasalli Regi proficiant, quando grauari non sunt: membrorum enim grauamen nequit non in grauamen capitis redundare.

CAPVT VIII.

De iis, ex quibus in Indiis Regium patrimonium integratur, & quomodo illa tractanda, ne tractantium conscientia degrauentur.

S. I.

An Quintatio in conscientia debeat.

31. PEr leges Regias Mineræ omnes Regis Catholici Dominio adiudicatur: quod quidem iure efficit potuit, stante donatione Pontificis, de qua Titulo 1. cap. 1. cum sit Indiarum Dominus constitutus, dare id potest, quod illi conueniens visum fuerit, & quod non conueniens, retinere. Per quod cessat difficultas, quæ generaliter loquendo circa hoc posset occurrere: sunt enim qui negent posse Principes Mineræ vsurpare turâ conscientia, cum inuentoris sint & fructus industria. Sic tenent Syluester, Sotus, Bartholomæus, Medina, & Ludouicus, Lopez, quos adducit P. Dicastillus Lib. 2. de Iustitia & Iure, Tractat. 3. Disput. 9. num. 409. & ex eodem Caramuel in Theologia morali, num. 285. Qui & addunt in nullâ Republicâ bene institutâ legem inueniri aut consuetudinem, per quam Mineræ Principibus adscribantur. Contra quam positionem insurgit Caramuel loco citato: qui tamen ex eo saluare à tyrannidè huiusmodi legem contendit, quia populus in eam voluntariè consentit. Quod quidem difficile est. Vbi enim de tali populorum consensu constat? Et certè in Indiis nullum illius fundamentum extat: & ita in eis vt omnis suspicio iniustæ vindicationis amouetur, ad donationem est prædictam recurrendum. Cum aliis grauium Doctorum sententia sit, metallorum venas esse eius, cuius est solum. Pro quo P. Molina Disput. 54. & P. Mendus in Bullam Cruciatæ, Disput. 33. num. 7. In aliis autem Hispanæ Coronæ regnis, ad opinionem probabi-

lem, quæ Mineræ ad supremos Principes pertinere asserit, recursus habendus; quia ab ipsâ naturâ in jus publicum, non autem ad priuatos vsus videtur instituta: vt ex Soto Lib. 6. de Iustitia, Quæst. 2. Art. 3. pro eâ sententiâ laudato, habet P. Lessius Lib. 2. cap. 5. n. 53.

32. Licet autem Regij patrimonij factæ sint, Reges Catholici eas inuentoribus tradiderunt quoad præcipuam earum partem, aliam minus principalem sibi reseruantes; & deinde reliquas conferendo aliis, qui sicut & inuentores, quintam sunt partem puri metalli Regi tradituri. Licet alicubi propter specialem in eruendo difficultatem, decimam tantum reddere iubeantur. Vbi inquiri merito potest an lex ista conuenientialis in conscientia obliget, vel saltem non obligare sit aliquomodo probabile. Et vt probabile sit sequentia fundamenta succurrunt.

33. Primum & radicale ex adductis: nam Mineræ istæ sunt inuentoris, vt citati Doctores dicunt, & Princeps nequit, nisi ipsis volentibus, subditos eo iure spoliare. Licet autem pro Indiis hoc non videatur eurrere ob donationem dictam; id non videtur adeo certum: nam Pontifex Indica regna concedens, sic ea donauit, vt adinstar aliorum gubernentur, in quibus subditi naturali quoad rerum acquisitionem iure non priuantur: neque enim credibile est voluisse Regis Catholici subditos peioris esse in Indiis conditionis, quos ad fundandas colonias allicere conabatur. Atqui in Minerarum adiudicationem non videntur aliâ consensisse: ergo probabile est eos tali lege in conscientia foro nequiquam obligari. Nec dicas sub eâ conditione in Indias venire permisos: nam id non satisfacit; talis enim conditio non est iuri naturali conformis: & ita à Pontifice non apposita, sed oppositum potius, vt vidimus, indicatum, nolente vasallos Regios peioris esse conditionis.

34. Secundum. Lex prædicta videtur poenalis: ex illius enim transgressione, quod non est quintatum, amittitur, & Regio Fisco adiudicatur. Leges autem poenales in conscientia non obligare communis sententia est; de ciuilibus loquendo, de quo dictum non semel, & pro quo videri potest Caramuel supra num. 1281. & in Regulam Benedictinam, num. 30. & P. Eleobar de Mendoza Tomo 1. Lib. 5. Cap. 17. Problem. 26. Probatur autem poenalem esse ex grauitate poenæ assignatæ: ex nullo enim capite melius dignosci lex poenalis potest. Ita Auctores, quos adducit P. Baldellus To. 1. lib. 5. c. 19. n. 16. Si dicas furibus etiam poenas imponi grauissimas, & tamè præceptum non furandi in conscientia obligare. Instari potest: quia illud est præceptum naturale; secus autem in præfenti contingit; quia de inuentâ Minerâ nihil reddere alteri, iuri est potius naturali conforme. Et licet Princeps possit conscientias suâ lege constringere, id debet ex aliquo efficaci argumento constare, quale non est impositio poenæ, iuxta probabilem grauium scriptorum opinionem.

35. Tertium. Quia quando quinta pars reddenda per legem constituta est, metallorum effusio minus erat quæstiosa ob eorum pretiositatem, & Indorum abundantiam, rerumque aliarum copiam minori pretio comparabilem. Vnde iam

Quomodo inuentoribus à Regibus tradita.

Fundamentum 1. vt quintatio in conscientia non obliget, ex eo quod Mineræ sint inuentoris.

2. Quia est lex poenalis, & tales in conscientia non obligant.

3. Ex actione summorum in effusione.